DECLARATIO
CAVSARVM,
QVIBVS ADDVCTA
ANGLIÆ REGINA,
Belgis afflictis & oppres-
*sis, copias quasdam auxi-
liares miserit.*

LONDINI,
EXCVDEBAT CHRI-
stopherus Barkerus, Serenissimæ
Reginæ Angliæ Maiestati Ty-
pographus.

1585.



D I
C
addu
preſſ

(inte
regnu
curar
terea
non a
alien
noſtr
Fecin
ſitate
motæ
nemu
noſtr
de &
intell
ſtian
iunct
ducta
earun
ſidium
diu,g

DECLARATIO CAVSARVM, QVIBVS adducta Angliæ Regina, Belgis afflictis & oppressis, copias quasdam auxiliares miserit.

TAmetsi Reges ac Principes qui suprema authoritate præditi sunt, soli Deo Regum Regi a quo in imperio constituti sunt, rationem reddere teneantur administrationis suæ: nos tamē quæ (inter cæteras Principes Orbis Christiani) hoc regnum Anglicanum á Deo optimo maximo procurandū suscepimus, eâdem lege, vt nemini præterea astrictæ teneamur de rationibus reddendis, non abs re fore arbitratæ sumus, nec quicquám alienum á Principis dignitate, si in hoc tempore nostri instituti rationem in publicum ederemus. Fecimus autem hoc, nullo iure, nulla vi aut necessitate compulsæ, sed ijs tantúm rationibus commotæ, quas infra paulo fusiús, ac dilucidiús exponemus. Quarum hæc summa est, non solúm vt nostri subditi ac ciues, (quos nobiscum summa fide & officijs coniunctos habemus) sed & exteri intelligant, ij præsertim qui é Principibus Christianis nobiscum fœdere sunt ac societate coniuncti, quantis, quamque iustis rationibus adductæ, vicinis nostris é Belgiæ Prouincijs (qui earum partium natiui ac domestici sunt) in subsidium venerimus: qui bellis assiduis vexati iamdiu, gentis externæ vim ac immanitatem perpessi,

Reges ac Principes supremi, soli Deo Regum Regi tenentur de rationibus reddendis.

denique omnibus calamitatibus affecti & afflicti, cum summo periculo confli&tantur perpetuæ seruitutis.

Causæ natiuæ veteris ac perpetui commercij inter Anglos & Belgas.

Igitur illud imprimis cognosci debet (quod non omnibus peræquè notum ac cōpertum est) inter has gentes, nostram & Belgicam, veterem quandam ac perpetuam necessitudinem fuisse ex commerciorum ratione ac commoditate contractam, quam & ipse locorum situs ac natura conciliat; per quam ita sibi é propinquo obiectæ ac oppositæ sunt, & portuum opportunitate sic vtrinque comparatæ ad commercia celebranda, vt ijsdem summa facultas intercedat & traijciendi expeditè, & portus capiendi, & suas merces opportunè celeriterq; distrahendi. Quod tum etiam factitatum est cum vtriusq; gentis incredibili beneficio, cum hæ Prouinciæ, Flandria, Hollandia, Zelandia, cæteræque coniunctæ ac vicinæ, singulæ singulis subiectæ essent, nec dum omnes vnius imperio ac authoritati parêrent. Hoc enim non ita pridem accidisse constat, cum ex nuptiarum interuentu coniunctis hæredibus, & ipsæ Prouinciæ quasi matrimonio quodam inter se conuenerunt.

Fœdera ac societates cùm inter Reges Angliæ Belgiæque Principes, tùm inter subditos ac Ciues vtriusque gentis.

Quo factum est, vt familiæ complures cum suis insignibus & ornamentis, tandem in vnam aliquam concesserint, ipsæq; Prouinciæ, quæ genere priús ac administratione distinctæ fuerunt, ad vnius ius ac imperium deuolutæ, tandem solum Burgundium pro hærede agnoscerent. Ex eo tempore, & retró, inter Angliæ Reges Maiores nostros, ac illarum partium Principes ac Patronos, Flandriæ, Hollandiæ, Zelandiæ, cæterasque prouincias quæ eiusdem imperij iure continentur,

plurima

plurima officia intercedere cæperunt, quæ ad vtriusque gentis communem vtilitatem spectabant. Nec id modò, sed inter ipsos Ciues ac subditos cuiusq; ordinis, mutui contractus ac conuentus celebrari cæperunt, tùm ad commercia liberiús exercenda mercesq; permutandas, tùm ad cætera studia & officia prouocanda, quibus ipsorum volũtates inter se perpetuo iure necessitudinis cohærerent. Id quod ex multorum tabulis (quæ nunc extant) satis elucet, non solúm mercatorum (quorum ea res potissimum interfuit, vt posset vtrinque mercatura liberé excerceri) quique tum in maritimis ciuitatibus cæterisque maioribus communiones habebant, sed eorum etiam qui propter ordinem plané alieni videri possent ab eiusmodi commercijs. Extant enim codicilli publici & priuati, quibus conuentus ac stipulationes vtrinq; continẽtur, qui sigillis ac nominibus solenni ritu consignati sunt, cùm eorum qui (quód sacris præfecti sunt) Prælati dicuntur, tùm qui in ciuili dignitate constituti, eo tempore Reipub. honoribus, ac generis splendore præter cæteros claruẽrunt. Inter quos omnes conuentum est, vt vtriusq; gentis subditi ac ciues mutua fide inter se constricti & obligati, communibus studijs ac officijs concertarent: tùm qui vitæ genus ciuile persequuntur, tùm qui sacris se rebus ac officijs addixerunt. Hinc factum est, vt quodam perpetuo nexu voluntatum coniunctæ & quasi conglutinatæ Anglia & Belgia, ita firmiter adhæserint, vt nulla offensione, nullis simultatibus diuelli posset earum consensio, ac penitus dissolui, ac né intermitti quidẽ diutius aliquãdo,

Vtriusque gentis subditi vtrinq; pactis inter se ac stipulationibus obligati de mutua fide ac officijs præstandis.

quantumuis inter se Principes interdum dissiderent. Id quod rarissimé tamen factum est, idque potissimum eorum operâ ac artibus, qui in proximis regnis cum vtriusque gentis paci inuiderent, semina quædam dissensionum libenter spargebāt.

Conuentus & pactiones antiquæ inter Reges Angliæ & Duces Burgundiæ de commercijs exercendis inter Anglos & Belgas.

Ac vt exemplis res clariús elucescat, has gentes iam olim a maiorum temporibus perpetuo quodam & quasi domestico vinculo societatis coniunctas, extant hodiè inter publica instrumenta ipsorum Principum, solennes Scripturæ, quibus capita pactorum, conuentionesque continentur. Testantur id inprimís illa fœdera ac sanctiones, quæ tum initæ sunt inter Henricum sextum é nostris Maioribus, & Philippum secundum ducem Burgundiæ, qui tum ab Auia Flandriæ prouinciam in hæreditatem accepit. Hæ, annis ab hinc plús minús centum quadraginta perscriptæ sunt, ac in publicas tabulas vtrinq; relatæ. Eædem sanctiones a Carolo filio confirmatæ sunt viro præstante, & qui illa ætate, bello ac pace insignis habebatur. Is auiæ Regis Hispani (eius qui nunc est) pater fuit, maritus autem eius Margaritæ nobilis fæminæ, quæ soror fuit Edouardi quarti proaui nostri. Deinde veró & sæpiús repetitæ eædem pactiones per auum nostrum Henricum Septimum, Principem præcellentem, & qui ad cæteras virtutes etiam summam prudentiam ac consilium adiecit, & Philippum Archiducem. Is autem Regis Hispani auus fuit. Nuper veró confirmatæ, & de integro restitutæ per Henricum octauum patrem nostrum illustris memoriæ, & Carolum quintum Imperatorem Almaniæ, eiusdem Regis Hispaniæ patrem, qui eam familiam plu-

rimâ

rimâ gloriâ & ſplendore colluſtrauit.

Ex hinc illa perpetua coniunctio animorum quæ primó loci ipſius propinquitate pellecta, deinde commercandi vſu ac commoditate contracta, poſtremó fœdere, pactionibus, officijs vtrinq; confirmata ità ſe a maioribus ad poſteros traduxit, idque plurimarum ætatum decurſu, vt hanc poſtea nullæ querelæ, nullæ vnquam ſimultates diſſuere poſſent: id quod exempli vim habere debet apud Principes Chriſtianos, ad ſuas ſocietates conſtanter ſanctéque colendas. Ex quo non minús principes ipſi robur ac dignitatem adepti ſunt, quám vtriuſque gentis ciues vniuerſi ſingulare beneficium ac commoditatem conſecuti. Ita Belgia ex hac ſocietate fructus præclaros conſequuta eſt. Vnde pace, commercijs ac opibus omnino florebat, ad id vſque tempus, quo Rex ipſe Belgiâ in Hiſpaniam concedens, eas prouincias Hiſpanis quibuſdam adminiſtrandas reliquit: qui cum earum partium exteri omnino ac peregrini eſſent, nec tam paci ac moderationi ciuili, quám armis militaribus, & caſtris aſſueti, nihil de illis prouincijs natiuum, nihil moderatum, nihil ex vſu Reipub. omnino cogitabant. Quorum etiam nonnulli nihil aliud quám cædem & ſanguinem ſpirabant, cuius profundendi incredibili ſiti & cupiditate flagrârunt: id quod ipſorum res geſtæ ſatis declarant. Hæc Rex (vt credibile eſt) eorum ſententiam & rationes ſequutus, qui ipſi domi a cōſilijs fuerunt, contra conſuetudines eius gentis, contra priuilegia, contra leges ac inſtituta Maiorum: præſertim cum ex Belgiæ domeſticis atque natiuis quam-

Publici cōuentus de ſubditorum beneuolentia inter ſe, officijsq; vtrinq; præſtandis ac reddendis.

Hiſpani & Externi, Belgiæ rebus præfecti contra eius gentis priuilegia ac libertates.

quamplurimos haberet, qui præterquam quód ibidem nati essent, ac in ipso sinu & gremio Reip. educati, Hispanis peregrinis prudentia, nobilitate, fide denique & officijs multúm prælucebant. Quos ille (si æquam rationem sequi maluisset, & tam sibiipsi, suisque rebus, quám huic genti vtilem ac salutarem) admouere debuisset ad illas prouincias pacaté, ciuiliterque moderandas: præsertim veró cum ipsius pater Carolus quintus Imperator, eorum antea præclarâ operâ vsus esset in rebus gerendis, & Rex ipse non minús singularem fidem ac industriam expertus. Hij veró ex Hispanis homines exteri ac peregrini, cum nullo domestico sensu charitatis ducerentur vt Belgiæ prouincijs cuperent benè, nec iam quicquam minús spectarent, quám vt (pro veteri more ac instituto illius gentis,) in pacis studijs plebem honesté ac tranquillé continerent (quod olim factum est á Carolo Quinto summo Principe, & qui maximæ prudentiæ ac consilij fuit, etiam a filio Philippo Rege, quoad ipse præsens inter Belgas versaretur, seque ipsum ac Principes natiuos earum partium in consilium adhiberet) sed contrá, arrepto clauo ex eorum manibus ad quos tum lege ac consuetudine spectabat, ipsi soli res publicas tractare, deinde auaritia & ambitione incensi, omnia traducere ad genus quoddam imperij absolutum & singulare, leges ac instituta rescindere, veteres consuetudines ac libertates contemnere ac pro nihilo ducere, postremó aperté tyrannidem appetere, tantaque cum licentia ac libidine exercere, vt intra paucos menses complures absumpserint ex domestica nobilitate,

Cædes Nobilium, ac populi Belgici per Hispanos præfectos.

te, qui ad Rempub. gerendam maximè idonei præter cæteros fuerunt. Hoc autem nullo ordine, nullo legum ac iudiciorum prætextu: vt statim omnibus palam fecerint, quó ipsorum conatus ac consilia spectaret. Ex quo etiã satis apparet, quàm vafris consilijs rem aggressi sint, quó sibi aditum struerent ad eam tyrãnidem quam tantopere affectabant, quum initio huius teterrimi dominatus Romanas superstitiones calidè prætexerent: interim veró plurimis Ecclesiastici Ordinis, alijs suas dignitates eriperẽt, alios immunitatibus spoliarent, etiam ex ijs qui Catholicos se dici volunt, alios vita & sanguine priuarent. Quis enim addictior illis ceremonijs quam Comes Egmondensis vir preclarus ac illustris imprimis? qui tamen (si illud vnum excipias) quasi lumen ac ornamentum illius gentis, plurimis maximisque virtutibus excelluit. Cuius ideó memoriam eius gentis nullæ vnquam historiæ conticescent, cùm propter ipsius præclaras victorias quæ Hispanis partæ sunt illius virtute, tùm propter singularem ac inauditam crudelitatem, quæ se contrá exercuit in illius perniciem. Quorum alterum Belgis perpetuam causam præbebit luctus & querelæ, alterum Hispanis sempiternam maculam ignominiæ inuret. Ad hæc, quó Belgiam vniuersam faciliús in seruitutẽ redigere possent hij præfecti peregrini, gentem non solúm vitæ instituto, sed & ipsâ naturâ pacatam ac tranquillam, florentissimas prouincias, vrbes beatas ac opulentas (quæ ærarij subductis rationibus á Carolo Quinto ipsius Indos vectigalibus adæquabant) domestico tumultu ita perturbârunt, vt hæ vrbes, & agri, quæ olim

Cædes acerba & deploranda Comitis Egmondensis, qui Belgicæ gentis lumen fuit.

Vrbes opulentæ, locaq; munita, cùm suis instrumentis ac fortunis occupata ab Hispanis, ac ab ijsdem possessa.

olim ciuium frequētiâ vel maximé abundabant, nunc penè ad vastitatem redactæ sint: eo consilio (vt credibile est) vt cum omnia ad solitudinem perducta fuerint, ipsi tādem ductis Colonijs, Belgiam deuictam ac desertam occuparent. Hoc autem vt celeriús perficerent, ex Italia & Germania cohortes quasdam ad se euocârunt: præter Hispanos, quorum eó maximæ copiæ quotidié transmissæ, quæ promptæ ad vim, ac contra ciues domesticos illius gentis incredibili furore ac amentia incensæ, eosdem ferro, fame, omnique genere mortis concîdunt: quæ nunc quasi reliquias victoriæ persequuntur, vrbes obsident, captas diripiunt, suis præsidijs tenent atq; communiunt, eiectis ijs, quibus legibus & naturâ debentur.

Concilium & pollicitatio Galliæ Regis de Belgis suscipiendis in fidem ac clientelam.

Quæ quidem deploranda calamitas, ac tam horribilis perturbatio gentis olim affluentis ac beatæ, iampridem omnium in se miserationem conuertit: etiam eórum, quibus olim frequens dissensio cum eâdem intercessit. Quod hoc anno vel maximé visum est, cum Rex Galliæ noster frater & fœderatus, nuper apud se deliberatum haberet, ac penè constitutum, hàs Prouincias non solúm suo patrocinio tueri, ab ijsdem vim ac iniurias propulsare, sed & Belgas vniuersos in fidem suscipere, hosq; in suorū ciuium numero censere: nisi tum fax quædam Guisianæ factionis (quæ Regis Hispaniæ stipendijs accensa, ac ventilata est) subitó ac deimprouisó ardere cæpisset, eiusq; Reipub. pacem communem nonnihil perturbare. Ita enim responsum est ad eorum postulata, qui tum Reipub. nomine Belgiæ prouincias in Regis clientelam ac patrocinium commendârunt. Sed

vtcunque

vtcunque aliorum in se miserationem conuertit horum oppressa & afflicta fortuna,ipsiq; spe Gallici præsidij recreati ad tempus,& ab ipso Rege perhumaniter accepti, tandem re infecta demissi sunt: (qui id etiam à nobis sæpenumero contendit,idq; tàm literis, quám nuntijs, vt de ijs defendendis cogitare vellemus) tamen cum illius gentis cõiunctio cum hac nostra multo tùm firmior, tùm vetustior fuerit quám cum cæteris gentibus quæ finitimæ sunt, pluribusq; de causis ac maioribus contracta : illud pro certo constare debet, harum fortunas á nemine magis condoleri potuisse quám á nostris ciuibus ,qui earum iamdiu amicissimi fuerunt, ac domestica familiaritate cum hijs propè coniuncti. Quod ità notum omnibus ac illustre est, vt iampridem vsurpatum fuerit communi sermone, Angliam & Belgiam matrimonio quodam inter se copulari. Quod non aliunde natum est, quám quódhæ duæ gentes, rerum ac voluntatum perpetuo consensu ac communione coniunctæ,inter se non minoribus officijs ac fide cõspirârint,quàm maritus & vxor. Hijs causis alijsq; compluribus impulsæ,Regem Hispaniæ fratrem nostrum certiorem fecimus, idq; frequenti legatione, pluribusq; cùm literis tùm nuncijs,quãto sensu doloris affectæ essemus ex istorũ acerbis ac infinitis iniurijs: quæ præter omnẽ sensum humanitatis inflictæ,non hostibus, non alienis, sed suis ciuibus perniciem crearent. Tanto autem minús ferendas esse ipsorum calamitates,ac tam atroces iniurias,quod natæ essent ex eorum sæuitia , qui Regij ministri , ac Tribuni militares, Bellicis rebus per hæc tempora præ-

Angliæ Reginæ crebræ suasiones ad Regem Hispaniæ, vt Tribunorũ vim ac tyrannidem reprimeret.

præfuerunt: ipsi autem exteri omnino essent ac plané alieni á Belgica natione.

Præterea (quæ nostræ partes imprimís fuerunt, id est & beneuolæ sororis erga Regem Hispaniæ, & erga Belgas eius vicinæ, quæ non loco magis, quám etiam animo se propinquam ostendit) iterum ac sæpius hortatæ sumus, & id quidem vehementer, vellet pro ipsius prudentia ac mansuetudine, harum rerum rationem habere, suos Præfectos ac Prætores commoneret, militum vim ac ferocitatem comprimeret, neue diutius in suos tam immaniter ac efferaté grassari pateretur. Quibus nisi ipse maturé prospiceret, sané verendum esse, né ipsorum tam furens ac proiecta sæuitia rem eô perduceret, vt coactę necessitate tuendæ salutis, & pristinæ administrationis libertatisq; retinendæ hæ Prouinciæ, totas se traderent in alicuius potestatem, qui easdem & posset & vellet á seruitute vindicare. Id quod aiunt licere sibi ex Maiorum instituto, legibus præterea & Priuilegijs quibusdam quæ ijsdem concessa iampridem fuerunt eorum authoritate ac gratiâ, qui tum in illis Prouincijs principatum habebant: quò se contra Principum suorum immoderatū imperium ac seruitutem communirent. Quibus præter cætera cautum est, vt ipsi fide ac officio soluti, omnino liberum habeant alium sibi (quem velint) Principem deligere ex vsu Reipub. si contra cōmunem æquitatem legibus solutis, & iustitiâ vniuersim contemptâ & euersâ, eam formam administrandæ Reipub. quæ à Maioribus instituta est Princeps violârit. Quod & exempla satis declarant ex veterum monumentis,

tis, ac historiâ petita: illarum partium Principes quosdam, Brabantiæ nimirum, Flandriæ, Hollandiæ, Zelandiæ, ob has causas motos imperio, ac authoritate deiectos. Deinde, alios quosdã designatos & electos communibus suffragijs eorum, ad quos ea res de iure ac consuetudine pertinebat. Ita Belgiæ ius ac Principatum mutatum nonnunquam, & á familia ad familiam sæpenumero traductum. Eadem aut planè consimilis conuersio (vt Historię testãtur) Ducem Burgundiæ Philippum olim in Belgię Principatum euexit: á quo Regis Hispaniæ (eius qui nunc est) ius omne deductum, ac deuolutum est. Sed hoc eius gentis publicis tabulis ac monumentis, pleniús atq; lucidiús definiendum relinquimus.

Iam veró nequid ipsi cõsimile tentarent, vt Regis Hispani authoritate desertâ & abiectâ (á quo tantis iniurijs lacessiti fuerunt) totos se conferrent in alterius clientelam, ad quem etiam Belgię ius ac Principatum deferrent, abhinc aliquot annis dedimus hijs certas pecunias mutui nomine, ad id publicis precibus inductæ ac cõmotæ, quibus vti possent ad se muniendos cõtra eorum arma, qui Hispaniæ nomine Regis Hispaniæ Prouincias vexabant: ea ratione potissimum adductæ, vt cum aliquid haberent quo se munire possent contra iniurias, vimq; iniustam ac hostilem ad tempus propellere, intra fidem se æquiús continerét vsq; dum aliquid impetrari posset á Rege Hispaniæ in ipsorum gratiam, né hac vi oppressi, ac necessitate compulsi, ab eius authoritate ad alienã descíscerent. Et fecimus id quidẽ eorũ precibus ac importunitate commotæ & victæ, qui in

Angliæ Reginæ rationes, quibus vsa est vt Belgiæ Ordines in officio contineret, né ab Hispano ad alterius cuiusquã imperium desciscerent.

illis prouincijs cùm cæteros genere ac dignitate præcederét, tùm illo tẽpore Regi Hispaniæ fide ac officijs coniunctissimi habebãtur. Fuit in hoc numero dux Ascotęnsis, & Marchio Haueriæ, qui nunc etiã in viuis sunt, aliiq; complures ex Nobilitate eius gentis, qui apud Carolũ Imperatorem olim in maxima gratia vixerũt, & quibus tum ille præcipuos magistratus ac summã Reipub. præter cæteros mandabat. Interim veró & Regem Hispaniæ (né quid clám fieri á nobis videretur) certiorem fecimus de hoc omni negotio, ídq; liberé & aperté, quid ab illis postulatũ, quid concessum á nobis: simul etiã vt pristinũ institutum teneremus assiduè commonendi, reprimeret suos, militum effrenatam licentiam compesceret, eosdem á cæde ac direptionibus auocaret: né si forte sentirent hij miseri & afflicti ipsius gratiã se penitus excludi, nec de cætero spem esse ipsorũ fortunis (quod fieri solet in desperata gratia) auerterent sese, suámq; fidem rémq; publicam ad alios transferrent. In hijs officijs monendi, rogandi, perstitimus libenter per aliquot annos, tùm illorum calamitatibus (vt par est) commotæ, tùm quód nostrâ interesse nonnihil putaremus, ea capita sanctionum (quantum fieri posset) integra conseruari de habendis commercijs, de veteri amicitia & societate colenda: de quibus olim conuentum est inter Maiores nostros, & Duces Burgundiæ, eásq; prouincias quæ illorum ditioni subiectæ sunt, Flandriam præsertim, Hollandiam, Zelandiam, quæ in proximo sitæ, faciliús cum nostris commercari consueuerunt. Nam hoc á nobis prouisum fuit & perspectum iampridem, si

(quod

(quod huius belli consilium fuit & tum suscipiendi,& nunc acerrimé persequẽdi, quod vel res ipsa satis declarat) vt Belgis victis atque deletis, ibi suas colonias Hispani collocarent (quod & Neapolis ab hijs factum est, ac in pluribus prouincijs) quantum id periculũ creare posset & nobismetipsis, nostrísq; ciuibus, & huic regno Anglicano, nisi istorum perniciosis conatibus nostra consilia quamprimúm occurrerent. Præsertim veró cum & illud exemplum ob oculos haberemus, ante paucos annos missos ab Hispano, & Pontifice Romano, qui in Hyberniam (quæ ex nostris est) impressionem facerent: eo consilio, vt insulâ occupatâ ab emissarijs cohortibus, & ex ipsa prouincia (quanta possent) præsidijs comparatis, postea faciliús maioribus copijs eandem inuaderent, partamq; vi & armis, Regis Hispani imperio adijcerent. Id quod habitâ quæstione ab ijs liberé est & aperté indicatum, qui é captiuis Hispanis ijs cohortibus tum præfuerunt. Quæ tamen petitiones nostræ ac vehementes suasiones, licét ab optimo animo profectæ essent, ipsiúsq; Regis rem ac dignitatem præcipué spectarent: tamen ita neglectæ & reiectæ sunt, eorum operâ qui Regi domi á Consilijs assistunt, nihil vt plané consequutæ fuerint: imo veró tantó sé magis vt acuerent ipsius Tribuni ac publici Ministri, qui tum Belgiæ rebus præfecti fuerunt, ac ad pristinam ferociam nonnihil adijcerent. Nec tantúm eó vehementiús sæuitum in suos, sed & nostri etiam qui studio commercandi, aut peregrina visendi in Hispanias confluxerant, tanto quotidie tractati acerbiús, plurimísq; cùm iniu-

Impressio facta in Hyberniam ab Hispanis missis á Rege, & Pontifice Romano.

rijs,tùm contumelijs cumulati á Regijs, qui tum publicam rem in Hiſpanijs procurabant.

Angliæ Reginæ Legatus & literæ ad Regẽ Hiſpaniæ repudiatæ & reiectæ. Cauſæ honeſtæ,ac neceſſariæ de Bernardino Mendoza ex Anglia demiſſo,ac relegato.

Immo veró (quod tantó indignius videri debet, quantó cum maiore cõtumelia coniunctum eſt) á Regio Conſilio noſter Legatus reiectus & exclusus, quem eó nominatim cum mandatis miſimus, né ad Regem accederet, né literas traderet, neù mandata exponeret. Legationis autem hæc ſumma fuit,quæ cum nec ipſo Rege indigna tum eſſet quæ ab eodem noſceretur, etiam nunc Orbi Chriſtiano vt palam fiat non incommodum arbitramur: cùm vt omnes intelligant ipſæ quàm beneuolé affectæ eſſemus erga Regem Hiſpàniæ, cum offenſiones noſtras, animíq; dolores cum eodem intimé cõmunicandos duceremus, tùm vt omnibus appareat, ipſæ contra quám iniquis rationibus habitæ ſumus ab Regijs Miniſtris, qui ipſius publica negotia geſſêrunt: qui nobis pro maximis officijs ſummáq; fide, peſſimam gratiam contra retulerunt.Quod aliqua ex parte conſtare poterit ex ijs quæ ſequuntur. Quamuis enim ex ijs quos ad fratrem noſtrũ Regem Hiſpaniæ nobis chariſſimũ miſimus iamdiu cum publicis mãdatis,quíq; noſtro nomine legationes obierũt,intra multos annos nemo fuerit, cuius familia,& ipſe nonnunquã,non indignis modis habitus fuerit,pluribúſq; cùm iniurijs tùm cõtumelijs affectus á Regio Conſilio, iíſq; præſertim qui primariæ in eodẽ dignitatis habentur,ita vt coacti fuerint ex ijs nonnulli legationem deſerere,alij etiam loco pulſi, & abſcedere iuſſi, tanquam Hiſpanijs interdicti ſint, idq; nullo merito, nullo delicto quod vel ab hijs commiſſum, vel ad nos

vnquam

vnquam delatum: Nos tamen cum id animo plané constitutum haberemus, velle pristinam amicitiam constanter retinere, omnibúsq; modis ac officijs augere (vt quæ eo animo erga Regem essemus quo sororem fidelem ac amantem decebat) nihilo-minús per annos complures eos omnes perlibenter accepimus qui missi á Rege publica legatione apud nos fungebantur: quos & summa cum gratia, plurimisq; beneficijs sumus prosequutæ, eo-úsq; dum id plané constaret ex ijs quosdam res eas apud nos moliri, ac iam seduló agitare, quæ ad nostrum ac Reipub. statum conuellendum spectabant. Duo hij ex legatis fuerunt: quorum alter Gyraldus Despesius dictus est, homo turbulentus, ac ingenij ferocis, ineptus plané qui Principum negotia tractaret, eorum præsertim qui fœdere inter se ac societate iunguntur: Quod etiam (cum domum reuersus gestæ legationis rationem redderet) non minús est á suis iudicatum. Alter veró (qui & postremus fuit ex ipsius legatis) Bernardinus de Mendoza: quem nos etiam magna cum gratia acceptum, omni genere honorum affecimus, qui Principis legato amici ac nobilis deferri debebant. Quod & in Aula nostra pluribus ac apertis indicijs testatum fecimus, nec ab ipso (quod credimus) negari iam poterit, quantumuis a nostris rationibus alieno. Et tamen intra paucos annos compertum est, hunc Bernardinum legatum clám ijs studere (quibus id authoribus inductus fecerit, diuinare non libet) qui perditi Ciues, ac sua ipsorum malitiâ auersi, turbas quasdam in hac nostra Repub. conflare vole-

bant. Nec ijs ſolúm, qui (vt illud virus ſeditionis adhuc ſuis ipſorum ſenſibus incluſum in Reipub. venas faciliús infūderent) domi ſe clám intra latebras continebant, ſed ijs etiam qui Maieſtatis damnati iam apud exteros vitam degebant perduelles fugitiui. Ad hæc literis, nuntijs, ſermonibus clandeſtinis cum vtriſque conſilia quædam communicare de hoc Regno inuadendo, copijs quibuſdam ad id comparatis, quæ partim ex Hiſpania, partim ex Belgia transferendæ eſſent & in Angliam exponēdæ. De quo ipſe Regis Hiſpani nomine certam ſpem, ac fidem faciebat. Ad hoc, quo facilior ea res atq; concinnior videretur, tabulas confecerat, & hoc omne conſilium in capita quædam conſpirationis diſtinxerat: quanto numero, quibus copijs res confici poſſet, etiam quāta claſſe, quibuſque nauigijs exercitus tranſportandus. Ad hæc, qui portus, quæq; loca maritima maximé opportuna ad copias exponendas. Deinde, qui eorum ſe partibus ſtatim adiungerent viri ſelecti, ac primariæ dignitatis. Hæc, aliaq; complura ab eodem legato deſcripta fuerunt, & quaſi in formam quandam conſpirationis appoſité concinnata. Quibus etiam & de ſua induſtria nonnihil adiecerat, qua hactenus vſus eſt ad huius Reipub. ſtatum perturbandum. Et hæc quidem ſatis ſuperq; probata ſunt, ac in omnium occulis ac luce conſtituta, eorum indicijs qui eiuſdem conſpirationis participes fuêre: quorum alij ad exteros ſtatim fugerunt, qui nunc in Gallia cum hoc Bernardino (vt ad nos perfertur) frequētes verſantur: alij veró capti ac in publicam cuſtodiam dati ſunt, qui huius conatus

omnes

omnes ac consilia in apertum tulerunt,quemadmodum cum ipsis habita, gestaque tum fuerint, qui eadem postea & scripto prodiderunt. Cuius summa, ea narratione breuiter continetur, quæ inscripta, *De publico supplicio Francisci Throckmortoni perduellis* nuper typis expressa, & vulgata est. Hæc ille per annum & eo ampliús vel maximé agitabat, seque non modò participem præbebat, sed etiam authorem earum rerum quæ & nostræ saluti, & huic Reipub. perniciosa esse possent. Nihil præterea literarum per aliquot annos ad nos detulit á Rege Hispaniæ, quanquam á nobis id sæpius rogatus esset, vt constare posset, quæ nobiscum agebat, eadem á Rege in mandatis habuisse : quæ eius generis omnino fuerunt,vt nobis iure suspecta res esset,á Regis notitia ac authoritate minùs promanâsse. Hijs omnibus adductæ, tandem & illa de quibus supra mentionem fecimus, eidem coram obijcienda curauimus per idoneos ministros: qui & palam fecerunt, quibus indicijs ac authoribus ad nos eadem peruenerint. Monuimus deinde,& id quidem humaniter ac amicé, vt intra certũ tempus regno excederet, modò suæ salutis rationem haberet: vt qui propter has res quæ iam in vulgus notæ fuerunt,in summo odio apud populum versaretur. Præterea & publico ductu ad mare ducendum, nostroq; nauigio transuehendum curauimus: minus id cõmodum fore ducentes nostris rationibus & huic Reip.huiusmodi virum Legati nomine, intra sinum nostræ Reip. diutiús fouere, qui contra ipsius nostramq; salutem tam perniciosé conspiraret. Statim veró & misimus ex nostris

ad Regem Hiſpaniæ,qui eundem certiorem faceret de hoc omni negotio ſumma cum celeritate, qui nec aliud quicquam in mandatis habebat: Atque is fuit qui aditu excluſus & eiectus eſt, né ad Regis Hiſpani præſentiam accederet.

Ad hæc veró quæ plena perfidiæ & indignitatis ſunt,& illud accedit,quod noſtris omnibus notum, & compertum iámpridem vel ipſa luce clarius apparet, Regios miniſtros, & iam antea ſæpius, & nuper diligentiús conſilia cepiſſe cum proditoribus quibuſdam (qui tum rebus nouis apud nos ſtudebãt) de vi, & incurſionibus in hoc Regnum faciendis: idque ſubitó ac de improuiſo, copijs conductis, ac ad id comparatis partim ex Belgia, partim ex Hiſpania. In quo de gratia referenda ab ijs peſſimé cogitatum pro tantis officijs quæ ijſdem præſtitimus. Quibus cognitis atque perſpectis, ſané ſperamus neminem fore (modó de re æquiús velit & attentiús cogitare) qui id nobis obijciet, quód mutata ratione conſiliorum noſtrorum, ac priſtini inſtituti, de noſtra tandem ac Reip.ſalute pauló diligentiús cogitandum putemus. aut qui nobis non omnino conſultum exiſtimet, vt de aliquo remedio proſpicere velimus, idque celeriter ac maturé: præſertim tantis periculis commonitæ atq; compulſæ,quæ noſtris ceruicibus imminere videntur.

Illud nos etiam non mediocriter commouit, quód ad cæteras rationes de quibus admonitæ ſumus iampridem & á domeſticis, & externis (quibus noſtra ſalus chara eſt) acceſſit præterea ciuium noſtrorum, & populi vniuerſi ſtudium ſingulare,ac incredibilis conſenſus:

qui

qui & aliâs ſæpius, & in publicis comitijs ſuas operas, ſtudia, induſtriam, denique ſe,ſuaſq; fortunas, vitam & ſanguinem ſumma cum alacritate nobis obtulerunt, ad hæc tanta pericula præuertenda & propulſanda, quæ ſibijpſis & huic Reip. impendêre videntur, ſi pulſâ & deletâ Belgarum gente antiquâ & pacatâ,eó Hiſpani cõmigrârint cũ ſuis Tribunis,ac copijs militaribus(qui erga noſtrã Remp. tàm animo infenſo, ac hoſtili ſunt)ductiſque colonijs in propinquo conſideant.

Hæc dum animo maximé verſaremus, venit etiam nobis in mentem conſimilis conſilij, quo vſæ ſumus ſub ipſis initijs noſtri imperij, quod tum etiam Dei Opt. max. perpetuo ac ſingulari beneficio exitus fœlices conſequutum eſt. Tum enim ſimili tempeſtati eſt á nobis prouiſum,quæ é Gallijs profecta, contra noſtram ſalutem excitata eſt á Guiſiana familia. Nam huius ex nutu & authoritate Galliæ res tum ferè pendebant. Ea autem, eiuſmodi fuit. Guiſianorum operâ tum nuptiæ conflatæ & contractæ fuêrunt inter Delphinum Gallum, & ipſorum Neptem Scotiæ Reginam. Cuius nec abſimilem rationem nuper inierunt qui etiam nunc ſunt ex eadem familia quó illis extra ordinem honoribus tandem perfruantur,quos tantopere cõcupiſcunt, ac ad eum gradum dignitatis perueniant, ad quem ipſorum ardens ac immoderata ambitio omnibus modis eoſdem prouexit. Quanquam nos illud ſperare debemus,fratrem noſtrũ Galliæ Regem(qui erga nos ſummam fidem ac beneuolentiã oſtendit, cui nos viciſſim conſimilem ſpondemus) velle hanc Familiã intra officium continere, ipſius ambitioni

Angliæ Reginæ opera ac induſtria de Scotia liberanda á ſeruitute eidem intentata á Gallis Guiſianis.

ni modum ſtatuere, ne eó potentiæ ac magnitudinis excreſcat, ad quam ipſa iampridem apertè contendit: né aut ſplendor eius familiæ Regi ipſi lumen præſtinguat, aut Principes affines qui eidem ſtirpe ſunt ac ſanguine coniuncti, ex eius potentia nimis deprimantur: neue nobis, noſtroue regno fraudi eſſe poſſint iſtius perpetuæ ac turbulentæ factiones, quæ id animo omnino ſtatutum habemus, velle in ea amicitia cõſtanter permanere, quæ nobis cum Rege inſtituta eſt, ipſiuſque familia ac ſanguine vniuerſo. Sed vt Scotiæ negotium (de quo modò narrare cæpimus) iam perſequamur: vbi Galli (id quod Hiſpani nuper in Belgia fecerunt) Guiſianæ familiæ ambitioni obſequuti, eó omnes conatus ac conſilia intenderent, vt (ſi fieri poſſet) Scotiæ regnum Gallico imperio in ſeruitutem ſubijcerent, (ex quo etiam ſperare cæperunt, poſſe viam ſibi ac aditum præmuniri ad hoc Regnum occupandum, quod tum ad ipſorum Neptem tranſferre Scotiæ Reginam maximopere cupiebant, quæ res cùm per ſe clara & aperta fuit, tùm eo tempore publicam notitiam peruaſerat Orbis Chriſtiani:) Ecce viſum eſt Deo opt. max. pro ſua ſumma bonitate, ita adeſſe noſtris conſilijs, ac inſtitutum promouere, (quod ſuſceptum tum iuſté, etiam honorificé proſequutæ ſumus) vt Scotiæ Regnum quod tum infeſtatum Guiſianis artibus, ac Gallicis copijs iam occupatum noſtrũ auxilium communi voce ac precibus implorabat, breui liberatũ hoc metu ſeruitutis qui tum omnium mẽtes mirificé perterrebat, priſtinæque paci reſtitutũ fuerit, extincta factione, Gallicíſque præſi-

dijs

dijs auerſis & remotis. Ita hæc nubes quæ tum exorta é Guiſiana familia, viſa eſt aliquam huic Regno tempeſtatem minitari, diuina ope quaſi vento quodam deiecta eſt, noſtrâque cùm operâ tùm impenſis (quæ tum ſané maximæ fuerunt) penitus diſſipata. Ex eo tempore Scotiæ Regno pax integra permanſit: niſi quód ex Nobilium diſſentientibus ſtudijs (qui eius gentis ferè mos eſt) interdum ſe partes licentiús efferrent: Rege præſertim minoris ætatis, necdum maturæ ad imperium capeſſendum.

Hinc leues quidam motus tanquam ſcintillæ emicare cæperunt domeſtici diſſidij, quæ tamen vt plurimúm reſtinctæ á nobis, ac ita repreſſæ ſunt in Regis gratiam, eorumque qui regni vices tum publicas obibant, vt Scotiæ Regnum hodié ſumma pace per nos perfruatur: & Rex ipſe frater chariſſimus Iacobus Sextus (princeps ſané maximæ ſpei, propter eius plurimas & excellentes virtutes, quæ vel in ipſo flore ſe efferre cæperũt) viuat nũc in ſumma gratia ac honore apud ſuos, nobiſcum veró vt ſanguinis communione, ita fraterna charitate ac intimo ſenſu amicitiæ cõiunctus. Ita tum res noſtræ diuinis auſpicijs ſuſceptæ ac inſtitutæ eos exitus adeptæ ſunt, vt vtraque gens, hæc noſtra & Scotica, ex eo tempore pacem ac amicitiam inter ſe conſeruârint: & id quidem multó diutiús & cõniunctioribus ſtudijs, quám antè per plura ſecula notum eſt ſiue hac noſtrâ, ſeu maiorum memoriâ. Neque tameſi actiones hæ noſtræ (quæ iuſtæ omnino ac ciuiles fuerunt) de Gallicis copijs ac præſidijs remouendis (quæ Guiſianæ familiæ authoritatem ſequuta, tum Scotiam

Scotiæ Regnum paci reſtitutum, ac priſtinæ libertati, in qua hodié á Rege poſſidetur, idq; ſolâ operâ Angliæ Reginæ.

inuaſe-

inuaſerant) in cauſa eſſe poterant, quó minús Galliæ Reges (qui ex eo tempore tres omnino fuere, & ij quidem fratres) nobiſcum plura fœdera ſocietatis contraherent: quæ ad hunc vſque diem vtrinque conſeruantur.

Concluſio cauſarum de copijs quibuſdam in Belgiam mittendis, tam ad gentis afflictæ iniurias propulſandas, quám ad conatus, & conſilia præuertenda de hoc Regno occupando.

Quocirca vt huic Declarationi finem imponamus, quæ hactenus de ratione noſtri conſilij inſtituta eſt in Belgis defendendis, ſperamus ſanè eandem ab omnibus probatam fore: quod de ijs nullo modo dubitare debemus qui ad hanc rem iudicandam neq; partium ſtudio, nec præiudicijs ducuntur. Cuius hæc ſumma eſt: Nos adductos inprimis eorũ publicis precibus ac aſſiduis querelis, qui ex Hollandiæ, Zelandiæ, Gueldriæq; prouincijs, cæteriſq; finitimis ac coniunctis præcipuum Ordinem apud Belgas tuentur: qui cum de clementia Regis Hiſpani nihil ſibi ſperandum de reliquo viderent, noſtram opem ac præſidium miſeré implorârunt: idq; tantúm, quo ſe poſſent ſuaq; tueri contra vim iniuſtam, quæ ipſis illata eſt ab Hiſpanis cæteriſq; peregrinis, qui Regis Hiſpani ſtipendijs ibidem militârunt. Eôdem acceſſêre plurimæ ſuaſiones, petitioneſque noſtræ ad Regem Hiſpaniæ: quibus aliud nihil conſequutæ ſumus, quám vt acceſſio fieret ad priſtinas iniurias. Nam & oppida capta, direpta, incenſa, nouæ cædes continué patratæ. Quanquam (vt veré, quodq, res eſt loquamur) has cædes ac rapinas quæ nuper factæ ſunt in illis prouincijs, minús conferendas putemus in eum principem, cui nunc earum partium præfectura commiſſa eſt: qui ipſe pluribus indicijs oſtendit, ſe maiore ſenſu humanitatis duci, & clementiæ cuiuſ-

dam

dam impressæ ac natiuæ, quám vt eandem transferre possit ad eorum ingenia quibus præficitur, qui innati sanguine, & cædibus admoti iamdiu & quasi pasti fuerunt, sub eorum imperio qui in Belgiæ præfectura eidem præcesserunt.

Ad hæc, & eius periculi rationem habendam diligenter putauimus, quod iam huius Reipublicæ ceruicibus impendêre videtur. Quod nec sinè maximis causis timere debemus, si Belgis superatis ac penitus deletis (quæ gens & naturâ pacata, & nobiscum amicitiâ coniunctissima est) ipsorum loco Hispanorum copias tam auersas, ac infestas vicinas habeamus. Qui quo animo sint erga nos nostramq; Remp. ex ipsorum iniquis ac turbulentis consilijs satis iam constat, quibus hactenus vsi sunt ad Reip. nostræ pacem perturbandam, nostramq; salutem penitus euertendam.

Tria precipué ab Angliæ Regina iustè ac legitimé postulata.

Hijs igitur causis adductæ ac impulsæ, statuimus tandem, idq; ex diuturno ac deliberato consilio, copias quasdam auxiliares mittere ad Belgas vicinos, cum hijs mandatis (quantum fieri posset) [1] ipsorum agros ac ciuitates a vastitate defendant, eaque ratione cùm ipsorum fortunis, tùm saluti prospiciant, ad diuinæ Maiestatis perpetuum honorem, cui illi Christiano ritu sacra officia liberé præstare maximopere cupiunt, idque ex ipsius Sacratissimi verbi præscripto ac instituto. [2] deinde, ad ipsorum vetera iura libertatesq; retinendas. [3] postremó, ad cõmerciorum rationẽ (quæ hijsce bellis propè intermissa est) exercendam, continuandam, quæ huic Regno Angliæ cum illis Prouincijs iam inde á Maiorum temporibus intercessit. Ita sané speramus, hoc nostrum in stitutum

[1] *Vt bellis finis imponatur, Belgis pristinæ libertati ac iuri restitutis.*

[2] *Vt securitas procuretur ab ipsius Regno oppugnãdo, inuadendo.*

[3] *Vt Angli & Belgæ p veteri more ac instituto, commercia exerceant.*

institutum, cum ijs quæ deinceps ex eodem consequentur, summi Dei singulari ope præclaré cessurum, & acceptum fore á Christianis omnibus, ijs exceptis qui vel ipsi authores sunt tam insignis iniuriæ, vel qui ad eandem perpetrandam fœdere cum ijsdem ac voluntate coniunguntur. Neque enim ad hæc suscipienda ambitione sumus aut malitiâ incitatæ, (quæ duo tanquam fontes sunt ex quibus omnis iniustitia promanat) sed Christianâ misericordiâ & æquitate commotæ, vt gentem miseram & afflictam, nostrisq, Regnis fœderatam, ab aliena vi ac armis liberemus, eidem veteres libertates ac pristinum ius administrandæ Reip. cum pace reddamus. Ex quo & nobis ipsis, & Regno nostro salus, ac securitas perpetua procuretur ab ijs vicinis qui nobis infesti ac importuni esse possint, nostriq; subditi ac ciues (quod hactenus fecerunt) etiam in posterum commercia exerceant, cæteraque officia necessitudinis exequantur cum illis Prouincijs, pro veteri more ac instituto Maiorum.

Causæ redditæ de Belgiæ oppidis quibusdã in potestatẽ suscipiendis, tenendisque per Angliæ Reginam.

Et quamuis illud sit nostri instituti (non solum in præsentia, sed etiam in posterum si id vsus postulârit) oppida quędam in potestatem suscipere, quæ illarum partium maritima sunt, cùm vt nobis deinceps præsidiaria esse possint, tùm né ab hostibus aut externis eadem occupentur: tamen cum id nostri consilij non sit, eadem velle nostro ipsarum imperio adijcere, vel ab ipsis prouincijs ad huius Regni ditionem transferre, confidimus sané, neminem fore qui non Principis prudentiæ consentaneum existimet, ac ipsi æquitati, huiusmodi locorum nobis vsum ac opportunitatem con-

concedi,quó ſe tutó conferre noſtri poſſint & milites & ciues,ac vnde ſe recipere,cum id opus fuerit, cùm ad commeatus comportandos, tùm ad vaſa ſubducenda, cæteraq; peragenda quę vſus ipſe ac neceſſitas poſtulârit: idque quoad viſum fuerit é re communi,noſtros in illas prouincias commeare,cùm ad præſentes calamitates(in quibus nunc ſunt) ac pericula propulſanda, (hijs amotis & eiectis qui ipſorum authores per hæc tempora fuerunt) tùm ad illas Prouincias Remq; publicam reſtaurandam,quoad cum veteri libertate priſtinam formam adminiſtrationis recipiant, tandemque veteri tranquillitate ac pace perfruantur, in qua ante illa tempora beatæ vixerunt, & quam nunc ſummis votis exoptant & precantur, in aſſiduum luctum & ſquallorem effuſæ.

Atq; hij quidem fines ſunt huius noſtri inſtituti & conſiliorum omnium, vtcunq; linguæ maledicæ ac petulantes alia quædam ac hijs aduerſa loquantur, viruſq; profundant maledicentiæ ac loquacitatis ſuæ. Quod huius ætatis noſtræ vitium quoddam ita proprium ac ſingulare eſt, vt nunquam (credo) mundus maiore prouentu ingeniorum abundârit,quæ in hoc genere ſe quotidié petulanter exercent, nunquam maiore artificio, aut magis exquiſito ad maledicendum, nunquam libellis magis virulentis & malitioſé confictis: qui ab ipſo Authore omnis mendacij concinnati ſunt, vt ſaltem hoc mõdo peſtem effūdat, ac illud virus malitiæ ac maledicentiæ ſuæ contra profeſſores Euangelicæ veritatis. Sed hæc viderit Deus Optimus Maximus, qui cordium inſpector,

ſpector, & ſceleris vindex certiſſimus eſt. A quo freti conſcientiâ conſiliorum noſtrorum ac huius inſtituti, eos haud dubié exitus ſperamus, quibus Chriſtiana pax & concordia procuretur: quæ eſſe poſſit cùm ad ipſius gloriam illuſtrandam, tùm ad eorum omnium ſingulare ſolatium, qui Pacem Chriſtianam & amant veré, & eandem ſynceré ſanctéq; perſequuntur.

ADDI-

ADDITIO,

In qua calumnijs quibuſdam reſpondetur nuper libello conceptis, ac in publicum coniectis, contra ipſius Maieſtatem.

HIjs abſolutis, ecce perductus ad nos eſt libellus quidam Italicé conſcriptus, qui de Antwerpia expugnata á Principe Parmenſi narrationem complectitur. Miſſus hic videtur ad Archiepiſcopum Mediolani, ac ibidem impreſſus, *Nuouo aduiſo* ab authore inſcriptus. Perlecto libello, inuenimus nos duobus confictis criminibus perſtrictas malitioſé, ac inſigniter notatas: quæ non minús communi odio apud omnes habentur, quám á quibus noſter animus, ac ipſa natura pręter cætera vitia ſummopere abhorret. Horum alterum ingratitudo eſt erga Regem Hiſpaniæ, cuius petitioni (vt narrat hic author) noſtra ſalus ac vita condonata eſt, regnante Sorore, cum iure damnatæ publicis iudicijs, mortiſq; ſupplicio adiudicatæ eſſemus. Alterum veró eiuſmodi eſt: Fuiſſe quoſdam qui maxima ſpe ac præmijs corrupti, illud negotij in ſe ſuſciperent, vt Principem Parmenſem é medio auferrent: & hoc quidem

dem nobis conſcijs vt comminiſcitur hic author, clauſulâ interiectâ quam ita circumſcribit,(*vt dicitur.*)Hoc tam tetrum & execrandum mendacium quó meliús conſtaret,adiectum eſt in eodem libello,Dei ſingulari beneficio palám rem factam ac in lucem productam, comprehenſis tum duobus authoribus eius facinoris, ac publico ſupplicio ob hanc rem múlctatis. Hijs commotæ, cum & nobis iampridem perſpectum ſit eſſe complures præſertim hac ætate (in qua, mundo declinante,etiam pudor, integritas,innocentia declinare cæperunt) qui naturæ morbo quodam ac furore impulſi,nihil verentur de ipſis Principibus peſſimé iudicare, ipſorum conſilia factáq; traducere,nec id verbis ſolúm ac conuitijs priuatim,ſed & publicis maledictis etiam ſcripto concinnatis,ac in vulgus coniectis: de nobis veró id contrá ſtatuentes nulla de re magis ſolicitas nos eſſe oportere,quám vt noſtram dignitatẽ (quantum fieri poteſt) ab omni labe integram conſeruemus: ſané committendum eſſe nullo modo cenſuimus, vt hæc duo mendaciorum portenta contra nos tam impudenter ac malitioſé conficta,noſtra innocentia libera demittat: né ex hoc noſtro ſilentio aliquid arripiant hij maledici cõuitiatores,quo deinceps ſua mendacia honeſtiús poſſent ac licentiús confirmare. Cæpimus igitur ipſam veritatem ad nos aduocare, & aliquid comminiſci, quo defendi poſſet noſtra innocentia contra iſtorum importunas calumnias, quod & huic Scripto noſtro apponendũ cenſuimus,in quo rationem noſtri conſilij de Belgis defendendis ſumus complexæ, quem nunc & in publicum

emitten-

emittendum curauimus.

Ac vt priori mendacio ipſa veritas reſpondeat, in quo ſummæ ingratitudinis crimen contra nos obijcitur erga Regem Hiſpaniæ: ſané fatemur & agnoſcimus perlibenter, cum noſtra Soror adhuc in viuis regnum teneret, pro illorum temporum ratione eidem á nobis nonnihil deberi. Quod & grato animo tum acceptum á nobis, & poſteà pluribus officijs repoſitum eſt: id quod ex ſuperiore narratione ſatis elucet. Illud veró etiam atque etiam pernegamus vt prorſus alienum ab omni veritate, noſtræ ſalutis, ac vitæ beneficium eidem deberi, noſue aliquando pro ordine iudiciorum capitis accerſitas, publicâq; ſententiâ damnatas fuiſſe: vt quæ ita ſemper in fide perſtitimus erga Sororem (quod tum noſtri officij ratio poſtulabat) nunquam vt noſtra fides in dubium meritò vocaretur. tantúm abeſt vt propter aliquod crimen capitale aliquando in iudicium vocatæ, mortiſque ſupplicio tum addictæ eſſemus. Quod omnino eius generis eſt, vt & ratione publici iudicij, in quo ordo forenſis cõſeruandus eſt, ratione loci ac ſubſelliorum in quibus ea iudicia exerceri ſolent, Iudicis prętęrea á quo ea ſententia ferri debebat, ac reliqui ordinis, qui ſeruari ſolet in eiuſmodi cauſis, omnino neceſſe fuerit ita ad omnium notitiam peruenire, vt nemini plané res ignota eſſe poſſet, ſi quid eiuſmodi comparatum fuiſſet, pręſertim contra ream eius dignitatis, quâ tum ipſæ fuimus. Quod cum ita ſit, de cætero cogitandum relinquimus Orbi Chriſtiano, hic libellorũm conſcriptor, ac concinnator mendaciorum, quanta cum iniuria quantaque

 malitia

malitia nobis hoc crimen tam insigne obiecerit, á quo nos non iudicio solum, sed sensibus ipsis ac naturâ abhorremus. Ex quo etiam æstimare poterit (nisi quem ex animo offenso ac perturbato impetus quidam ac sua pertinacia ferunt transuersim) quale sit quod secundo loco nobis obiecit iste Principum impurus ac maledicus criminator: sicarios conductos, qui Parmensi principi clám mortem pararent. eius consilij conscias nos ac participes fuisse. Cuius instituti rationem hanc esse pernecesse est, vt vel ipsæ ad hoc facinus Principis odio ac offensione duceremur, vel vt summa rerum gerendarum apud Belgas, bellique persequendi, ita in huius vnius persona consistat, vt eo sublato, hęc á nemine præterea geri res posset. Ac de ipso quidem ita sentimus, nihil abs eo commissum aliquando, nihil dictum (quantum nos vnquam auditione accepimus) quod animum nostrum in offensionem impelleret, quó minús de eodem præclaré sentiremus. Illud veró multo minús, vt incensæ odio contra ipsius salutem, eorum consciæ aut participes esse vellemus, si qui de ipsius sanguine profundendo, vitáq; tollenda nefarié conspirârint. Est enim Parmensis (vt iam nostrum iudicium in apertũ proferamus) ex eorum numero, de quibus nos semper honorificé sensimus: idq; propter ipsius plurimas virtutes, ac præclara ornaméta, quæ expressa rebus gestis, vel eius ignoti personam nobis represent ant. ex quibus eam nominis celebritatem confecit, quâ maiorem hodié sui ordinis consequutus est nemo. Et hæc nostra quidem de eo existimatio est, quam (quoties de eodem

mentio

mentio incideret) sermone & publico & priuato semper expressimus. De bello autem, cuius summa huic commissá nunc est apud Belgas gerendi, præterquam quód apud omnes satis iam constat qui aliquo sensu præditi sunt istarum rerum, horum incendium huius vnius sanguine extingui non posse, nec vitâ terminari: ita apud omnes in confesso est, neminem vnquam eodem munere functum pæclariús, siue de fide, pactisque seruandis, siue de mansuetudine dicamus, ac gratia conferenda erga eos, quorum id meritum aliquo modo aut officium flagitârit. Ex quibus apparet, nihil admitti sceleratius potuisse, nec á nostris rationibus magis alienum (quoad de bello Belgico idem institutum Rex Hispanus persequatur) quám percussores adhibere, qui hunc virum eripiant ex illis prouincijs: qui isthîc militarem vim tanta cum clementia ac mansuetudine temperauit, vt qui cum eo conferendus sit, hactenus in eo munerę præcesserit nemo, neque par sané quisquam sit posthâc expectandus.

Quare cum horum neutrum in nos conueniat, vel eius odio nos adduci potuisse, neque spe huius belli extinguendi, vt de eo tollendo cogitare vellemus: de cætero nunc omnibus cogitandum relinquimus (quibus nec partium studium, nec animi offensio sui iudicij lumen præstinguit) in tam insigni médacio quám né probabilis quidem fuerit iste rumorum malitiosus consectator, publiciq; conuitij contra Principes conflator, nos huius cædis intentatæ vel authores fuisse, vel de hoc tanto flagitio omnino cogitâsse. Quod á nostro ingenio quantopere dissentiat, etiam á cu-

iuſquam aſtuta malitia, qui in ſcelere patrando ſibi finem proponit, ij facilé intelligunt, qui pro natura ac dignitate cuiúſq; æſtimare ſolent,quid in quémq; ſuſpicionis minús apté conueniat. Ad hæc veró, eiuſmodi facinoris ſi qua pars fortè ad nos pertineret (vt videri vult iſte ieiunus ac maleuolus obtrectator) quis non intelligit, multó plús illud quám veriſimile videri, eos qui huic quæſtioni ac ſupplicijs præfuerunt,voluiſſe capita quædam confeſſionum notare eorum qui in hoc ſcelere depræhenſi dicuntur, eadem typis mandare, ac in vulgus efferre? Neque enim malitia ac criminandi libido cum aculeum emittit, quicquam poſt ſe relinquere ſolet illius veneni, quod non totum exhaurit atque profundit ad eos vulnerandos, quorum famam cupit ac dignitatem aliqua labe dedecoris ac ignominiæ tranſfigere.

Quocirca,nobis hoc quidem conſultum arbitramur, cæteriſque non minús qui publicis rebus apud ſuos præponuntur, hâc noſtrâ ætate (in qua peſſima ingenia ſumma vbertate vbique redundant, quæ referta malitiâ & ex maledicentia concreta, omne inſtrumentum ſuæ naturæ conuertunt ad optimi cuiuſque famam lacerandam) Deo aſpirante, ita vitam priuatim ac publicé moderari, vt ex horum petulantia(quæ ſe exercet in formandis maledictis,ſiue quæ ſcripto, ſiue quæ rumoribus ac ſermone conflantur) quaſi ornamentum quoddam accedat ad Principum innocentiam: illud præterea pro certo ſtatuentes,has peſtes generis humani (Deo vindicante) cùm ſui ſceleris pænas daturos, propter Principum

pum violatam dignitatem, qui in legitimo imperio constituti, in hominum cætu iustitiæ diuinæ quasi custodes ac administri sunt: tùm præterea á bonis omnibus indignos haberi vel hoc ipso spiritu, quo ad Principum famam contaminandam ita turpiter ac nefarié abutuntur.

Datum Richmontiæ quo in publicum ederetur, Calendas Octobres, anno regni serenissimæ Principis Elizabethæ vicesimo septimo.

LONDINI,

EXCVDEBAT CHRI-
ſtopherus Barkerus, Sereniſſimæ
Reginæ Angliæ Maieſtati Ty-
pographus.

1585.